

Verf. 2. 3. 4.  
5. 6.  
Iustorum ve-  
rò labijs da-  
tur visa. Iu-  
storum lingua  
datur simpli-  
citas & can-  
dor. Iusti et-  
iam si morta-  
lium liceat o-  
culos fallere,  
sciunt tamen  
Dei nō posse.

A secreto malignorum consilio, &c.] Notāus est hic locus, in quo malignorum ac sceleratorum ho-  
minum ingenium describitur, quatenus linguę virulentia sanguini innocenti insidiantur. Primū  
dat illis, quōd linguas suas ad perdendam instruat, & velut gladium exacuant, aut telum alioquod  
ad feriendum dirigant: quibus similibus peitem falsarum linguarum exprimit, quatenus illę in-  
teritum adferunt innocenti. Deinde dat illis occulta & fraudulenta nocendi studia, astutas cogita-  
tiones, & corda profunda. Huc applicat similitudinem laqueorū studiosē absconditorum. Ad hoc  
studij pertinet simulatio fraudulenta, vt aliud ore sonetur, quā corde foueatur: vt labia sonent pa-  
cem & amicitiam, in cordibus verò sint mala consilia. Tertio adscribit illis, quōd dicant: *Quis vide-  
bit?* Et quōd ex ista persuasione, qua putant consilia sua fore occulta seipos in malitia obfirmet.  
Hoc ingenij passim in Scripturis datur impijs, quōd ob id in malo pergant, quōd credunt consilia  
sua mortalium cognitionem effugere. Quarto, dat illis, quōd subito & improviso iaculo petant in-  
nocentem. In causa est innocentium simplicitas & candor, nihil mali sibi à simulatoribus metuentū.  
Quinto, adimit illis timorē Dei, cū dicit: *Non timent*, cū innocenti insidias parant. Ea scilicet  
est impiorum securitas: quam si non haberent, neq; tantum haberent malitię. Timor enim Dei  
cohibet animos mortaliū à studio nocendi. Iam expēde, quanti periculi, quanti timoris res sit, si  
non vnus & alter, sed turba aliqua talium impiorum & astutorum homini, hostium loco ferenda  
sit, vt meritō Propheta clamauerit ad Dominum: *Absconde me à secreto malignorum consilio.*

## SECUNDA PARS.

Verf. 7. & 8.  
Subitę erūt  
plage illorū.  
Quia securi  
erūt in malo.  
Sic diluuiū,  
sic ignis Sodo-  
mę, sic Muni-  
di finis.

At Deus illos iaculo feriet.] Per id, quōd in prædicendo futuram hostium vltionem, eādē vtitur  
metaphora, qua ipsorum conatus noxios suprā expresserat, admonet nos dicti Christi: *Qua men-  
tura, &c.* Hic nō dat Deo irritos iactus, sed certos & efficaces. Conatus impiorum erant vani, acue-  
bant linguas, consultabant, insidiabantur, laqueos tendebant: sed omnia frustra.

Lingua sua illum aduersum se cogent.] At hoc non agebant impij. Verū ita vsuuenit iusto Dei iudi-  
cio, vt in ipsam foueam cadat impius, quam struxerat innocenti. Hoc prouerbialiter suo ipsius se  
gladio iugulare dicitur.

## TERTIA PARS.

Verf. 9. &  
10.

Et videbunt omnes homines, & stupebunt.] Duobus istis versibus postremis vltioni impiorū hoc vti-  
litas assignat, quōd faciat ad declarationem iusti Dei iudicij. Ita certē cecidit Saul cum suis, casu  
repentino & improviso, emeritq;. Dauid ex omnibus periculis subito, vt nemo nō potuerit ipsam  
Dei manum agnoscere. Est itaq; duplex utilitas vindictę impiorum. 1. Prima, quę ad vulgus redit,  
vt ex illa discatur vulgariter esse Deum in cælo, qui sit vltor malorum. 2. Altera, qua fit, vt iusti  
gaudio repleantur in Deo: & qui recto sunt corde erga Deum, gloriantur. Deinde & in fiducia sua  
erga Deum corroborentur, videntes Deo charos esse iustos & innoxios. Et huius gratia Psalmus  
iste recto ordine priori subiungitur, vt appareat eiusdē esse argumenti & causę cum superiore, qui  
& ipse consimili fine clauditur.

## PSALMVS LXV.

AD PRÆCINENDVM PSALMVS CANTICI DAVIDIS.

ARGVMENTVM PSALMI CVM

SVA DIVISIONE.

Psalmus iste dicitur esse dicitur esse, & omnium iucundissimus, expendens beneficentiam Dei, non solum præ-  
cipuā illam, quam impendit populo suo, cœlestem ac perpetuam: sed & temporariam & terrenam,  
quam impertit vniuersa vbiq; terrę. 1. Primo loco celebrat gratiam Dei, Israëlī præstitam, quōd de-  
derit se in Ziyon coli, adorari & inuocari, quodq; clamantes ad se exaudiat peccata remittat, & populum  
suum bonis domus suę satiet. Et hoc facit primis quatuor versibus. 2. Deinde eam gratiam Dei expendit,  
simul & potentiam, qua populorum aduersariorum tumultus ac fremitum compefcens, populo suo pacē  
largitur. Id facit vers. 5. 6. 7. 8. 3. Tertio loco commendat donum fertilitatis, quo terram diuitem ac pin-  
guem frugibus reddit, idq; passim in montibus, collibus, solitudine, locis campestribus, vallibus, &c. ita vt  
egredientes iubilatione & cantico repleantur.

VERS. I.



Emanet laus Deus in Ziyon, & tibi redditur votum.

2. Qui precem exaudis, ad te vsq; omnis caro veniet.

3. Verba scelestā inualuerunt contra me, pręuaricationes nostras tu  
ipse expias.

4. Beatus quem elegis, & tibi adiungis: habitabit in atrijs tuis, satiabitur bonis do-  
mus tuę, sacrę regię tuę.

5. Terribiliter pro iustitia respondes nobis, Deus salutis nostrę: spes omnium finium  
terrę, & eorum qui procul ad mare habitant.

6. Qui montes instruit virtute suā, accinctus potentia.

7. Qui sedat fremitum marium, fremitum fluctuū eorum, & tumultum populorum:

8. Et timebunt sibi propter signa tuā, qui in extremis terrę finibus degunt: egreden-  
tes mane & vespere exhilaras.

9. Visitas